



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. CXXXIX. Domine probasti me, & cognouisti me, &c. Carm. gen. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Despicis, elatosq; premis. discrimina mille
 Passim mihi circumstrepant,
 Te duce turus ero.

Tu ualida obsistes dextra furialibus ausis
 Qui me laessunt hostium:
 Incolumiq; dabis.

Quod superest, siquid superest. bonitate peren
 Quo coeperas gradu tuae (m.)
 Facta tuere manus.

PSAL. CXXXIX. Domine probasti
 me, & cognouisti me, &c. Carm. gen. 3.

Momenta uitæ nulla te latent meæ,
 Rector benigne cælitum.
 Seu sedeo, siue surgo, seu quid cogito,
 Tu cuncta præsens aspicias.
 Lux siue curam, seu quietem nox tulit,
 Curam & quietem temperas.
 Nec te minutæ uoculæ fugit sonus,
 Quam lingua temere fuderit.
 Et os & humeros, totiusq; corporis
 Sic arte mira fabricam
 Finxisti, acumen nullum ut humani ingeni
 Ratioue possit assequi.
 Quonam ergo uultum fugero tuum? quibus
 Clausus latebris occular?
 Petamne cælum? præsto es hîc. ad inferos
 Demergar? illinc non abes.
 Aurora curru me uolucris ut deferat
 Ad Occidentis limitem:

Hîc

Hic deprehendes me, nec hinc tutus tuæ
Vitabo fulmen dexteræ.
Incanta mens si fortè secum cogitet,
Nox me tenebris occulet,
Obscura tenebris nostra nox luce est tibi
Meridiana clarior:
Tibi nec tenebræ sunt tenebræ, nec tuæ
Nox ulla prouidentia est.
Arcana mentis tu tenes, qui pectoris
Arcana fabricatus es.
Qui me parentis uentre conditum, cutis
Tenello amictu inuolueras.
Compago mira corporis nostri, tuæ
Miraculum est solertia.
Stupenda cuius opera nec nostra assequi
Sed nec negare mens potest.
Nam nulla nostri tam minuta est corporis
Pars, ut tuam scientiam
Fugiat, nec ulla claustra pectoris latent
Te conditorem pectoris.
Massæ recentis rudia adhuc primordia,
Rudisq; massæ semina,
Ceum scripta haberes, corporisq; lineas,
Motum statumq; noueras.
Et membra nondum quum foret, quid adderent
Dies sciebas singuli.
Hæc mente tacita cogitanti mihi, stupor
Torpôrq; sensus alligat.
Animus labascit quum tuæ miracula
Perpendo mecum dexteræ.
Citius inibo numerum, arenæ in littore

R iij

Quot uoluat æstus corpora:
 Quamuis ocellis peruigil nunquam meis
 Dulcem soporem indulsero.
 O quando perdes impios rerum parens?
 O quando sanguinarios
 A me repelles qui scelesti nomini
 Et numini illudunt tuo?
 Te quisquis odit, numquid odi? non tuos
 Hostes habebam pro hostibus?
 Odi profectò: nec tuis ex hostibus
 Amicus est quisquam mihi.
 Reuolue mentis intimos sinus Deus,
 Latebrasq; nostri pectoris,
 Nisi hîc amorem uideris tui, nisi
 Animum obsequi non impigrum.
 Si par scelestis scelere sum, uitæ parem
 Da cum scelestis exitum.

PSAL. CXL. Eripe me Domine ab homi-
 ne malo, &c. Carm. gen. 6.

A Eterne rerum conditor, à malæ
 Linguaë ueneno me bonus assere,
 Meamq; periuri tuere
 Hostis ab insidijs salutem,
 Qui fraude tecta bella nefaria
 Ciet: nec atris mitior anguibus,
 Vibratq; linguam uirulentam, &
 Ore uomit rabido uenenum.
 Auerte fraudem, & me uiolentiæ
 Hostis scelesti subtrahe, qui mea

Vesti-